

potest distingui a simili, ad quod refertur. Ita etiam est de differentiis, non enim refertur ad differens in communi, quasi ad primum correlativum, quasi essent duo extrema prima relationis, & utrumque communissimum ad omne differens: sed differens est differens ab hoc differenti. Et si objicias, quod relativum dat primo intelligere suum correlativum commune. Respondetur, non est tale correlativum ejus, ut commune, nisi ipsa, ut sumpsum pro aliquo inferiori, pro quo distingui potest a correlativo, Exemplum huius est in rebus, quia si tota natura ignis esset in uno individuo, illud individuum non posset generare, quia si sic, tunc generaret alium ignem, in quo esset tota natura ignis, & essent quasi duae species ignis, quod est impossibile. Et tamen nunc in uno individuo natura ignis est ratio generandi, quia habet unitatem sufficientem pro principio activo, & distinctionem sufficientem. Ita hac similitudo bene est ratio alicui referendi, vel terminandi relationem, sed nec refertur, nec terminat, nisi accipitur pro distincto, in quo sit: (a) ita quod nec unitas, nec distinctio est per accidens, sed utrumque per se respectu talis relationis, sicut dictum est in quaest. de circumfessione: non enim sequitur, *non alius a Deo, ergo non alius a Patre*: sed in affirmativa est bona consequentia ratione distributionis termini huius relationis, propter negationem inclusam in ratione alietatis. Ad aliam probationem, cum dicitur, *solus Deus, ergo solus Pater, vel solus Filius*. Respondetur, quod subjectum exclusivae potest comparari, vel ad exclusionem, vel ad praedicatum. Primo modo habet suppositionem simplicem, quia exclusio fit ab eo, ratio se significari. Secundo modo habet suppositionem personalem, quia praedicatum attribuitur sibi pro supposito. Contra istud: unum extremum in uno actu componendi, & dividendi, habet rationem unam, secundum quam accipitur respectu alterius extremi, quia diversa rationes accipiendi idem extremum respectu eiusdem termini, non videntur stare cum unitate actus componendi. Et si dicatur, quod respectu exclusionis supponeret sub uno ratione, & ut accipitur sub exclusione respectu praedicati, supponit sub alia ratione. Contra, subjectum non supponit respectu suae dispositionis, sed respectu praedicati, & ita praesice habet illam suppositionem, quam intelligitur habere respectu praedicati, ut accipitur sub sua dispositione. Ideo dico aliter, quod subjectum affirmativae exclusivae supponit confusum tantum, sicut & praedicatum universalis affirmativae, quod probatur ex convertibilitate earum, & sub termino, sic stare confusae tantum, non licet descendere. Posset tamen dici in proposito aliter, quam in creaturis, videlicet, quod Deus sub exclusione stat pro hoc Deo, qui nominis est tribus personis, quae responsio tacta est *dist. 4.* pro quo stat ibi subjectum, Deus est Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, & posset etiam valere, *dist. 2.* (b) quidquid est illud subjectum, cui primo convenit agere respectu creaturarum, quia hic Deus, ut est haec deitate

Deus,

a *Dist. 19. q. 2.*b *Quaest. 2. q. 1.*

Deus, non intelligendo aliquam personalem proprietatem, licet omne praedicatum, quod verum est de hoc praedicato primo, verum sit de Patre per se, sed non de solo Patre, sed de Filio: & Spiritu sancto.

## DISTINCTIO XXII.

CItca istam distinctionem vigesimam secundam quero unum.

## QUAESTIO PRIMA.

*Utrum Deus sit nominabilis aliquo nomine significante essentiam divinam ut haec?*

Hic dicitur, quod sicut Deus intelligitur a nobis, ita potest & a nobis nominari: (a) secundum igitur, quod diversimode aliqui asserunt de cognitione Dei ab intellectu viatoris, ita consequenter dicunt diversimode de possibilitate etiam nominandi Deum; & qui negant conceptum univocum Deo, & creature, & ponit duos conceptus analogos, quorum scilicet alter, qui est creature, attribuitur alteri illi: scilicet qui est Dei, dicit secundum hoc consequenter, quod Deus est nominabilis a viatore nomine exprimente illum conceptum analogum.

Sed contra istam positionem specialiter arguo. (b) Quia omnis conceptus realis possibilis haberi de essentia divina, natus est fieri in intellectu virtute illius essentiae. Probatur, quia quodcumque obiectum intelligibile minimum, natum est facere in intellectu conceptum omnem realem possibilem haberi de eo: sed secundum istos tantum unicus conceptus realis natus est haberi de essentia divina virtute eius, licet intellectus negotians possit plures conceptus causare, & fabricare, circa idem obiectum: (c) ergo quodcumque obiectum potest fieri conceptum realem in intellectu de Deo, potest fieri illum unicum, quem conceptum illa essentia essentata de se facere: sed ille unicus est huius essentiae, ut est haec: ergo quodcumque obiectum facit aliquam notitiam de Deo in intellectu nostro, faciet secundum opinionem istam conceptum ejus, ut est haec essentia, & ita nominabilis est a viatore notitia significante hanc essentiam, ut haec.

Potest dici breviter ad questionem, (d) quod ista propositio communis multis opinionibus, quod scilicet *sicut aliquid intelligitur, ita & nominatur*, falsa est, si intelligatur praesice, quia distinctius potest aliquid significari, quam intelligi, quod videtur per se dari ex hoc, quia cum substantia non sit intelligibilis a viatore, nisi in conceptu communi entis, sicut probatur est *distinct. 3.* si non posset distinctius signi-

signi-

a *Henr. 1. sum. ar. 2. q. 1. § 3.*b *Henr. quodlib. 5. q. 1. § quodlib. 13. q. 1.*c *De hoc sup. d. 3. q. 1. § 3. & d. 8. q. 4.*d *Q. 3. § quantum ad 2.*

significari, quam intelligi nullum nomen impostum a viatore significaret aliquam rem de genere substantiæ: sed sicut præcisè concipitur ab intellectu viatoris aliqua proprietas, & qua imponitur nomen, quæ proprietas communiter exprimitur per etymologiam nominis: ita præcisè talis proprietas significaretur per nomen: puta, per hoc nomen, lapis, non significaretur aliquid de genere substantiæ; sed tantum aliquid de genere actionis, puta læsio pedis, quam exprimit etymologia huius nominis: & fuit ratio, a qua imponebatur nomen: ita potest argui de omnibus aliis nominibus impostis rebus de genere substantiæ, quod nullum eorum significat aliquid, nisi proprietatem accidentalem ad quam, quæ intelligebatur ab imponente: vel oportet dicere, & quod ipse distinctius nominabat substantiam, quam intellexit.

Qualiter autem hoc sit possibile potest intelligi sic secundum viam Augustini 6. de *Trinitate* cap. 6. qua probat compositionem in omni creatura: nam concipiuntur ab aliquo multa accidentia concurrentia in eodem, puta talis qualitas, & talis quantitas, & probatur neutrum illorum esse alterum, quia utriusque illorum manet sine altero: probatur etiam secundo, utriusque illorum aliquid aliud esse subiectum commune, quia utrumlibet illorum potest destrui, non destructio altero; ergo aliquid concluditur esse subiectum utriusque, & quantitati, & qualitati: illud autem, quod fuit ens, non concipitur in conceptu quidditativo, nisi entis, vel huius entis. Et tamen frequenter accidit, quod talis quantitas, & talis quantitas conjungitur in aliquo, & alibi non conjunguntur in aliquo: hoc non est ex natura qualitatis, & quantitatis, ut præostentum est supra, concluditur igitur, quod hoc est ex natura illius tertii, in quo iunctantur ambo ista; non autem conjunguntur talia in isto tertio, quia in illo. Ex quo etiam diversimode conjunguntur in diversis, concluditur substratum istis esse de versum a substrato istis, & ex hoc concluditur tertium illud esse aliud ab alio tertio: ergo conosciatur aliud tertium esse substratum, & similiter quod sit aliud a subiecto alterius. Neque enim cognosco distincte, quid sit in se, nisi quod sit ens, vel res affecta talibus accidentibus: unde ulterior conceptio, quam possim de illo habere quid sit, est res aliqua habens talia accidentia, & relationes. Ad propositum ergo non accidentibus istis, sed isti alii sic distinctio, quidquid sit, quod est cum istis conjunctis, quæ intelliguntur, imponitur nomen aliquod, illud videtur esse proprium signum huius sub ratione qua hoc: ita quod imponens nomen intendat illam essentiam de genere substantiæ significare, & sicut intendit significare, ita nomen quod imponit est signum, & tamen ipse non intelligit illud distincte, quod distincte intendit significare per hoc nomen, vel per hoc signum. Exemplum esset etiam, si quis imponeret characteres Hebræos, nesciens voces Hebræas in particulari, sciant tamen, quod aliqua vox est prima, aliqua secunda, & aliqua tertia, imponeret sic, aliqua est prima, & quancumque sit illa volo, quod significetur tali nomine, vel tali characteri: illi characteres essent signa illarum vocum Hebræarum, quæ: aliquis Hebræus distincte cogno-

gnosceret objectis sibi talibus signis; non Hebræus autem, & si cognosceret quid significaretur per istas figuras, non tamen illud, quod significatur distincte cognosceret, sed tantum in ratione prima vocis, vel secunda.

Breviter igitur dici potest, quod ad minus nomina multa imponuntur, quæ significant Deum in communi; quia sic naturaliter potest concipi a simplici viatore, ut patet *dist.* 3. vel si verum est, quod distinctius potest significari, quam concipi. Quod Deus nominati a viatore nomine significante hanc essentiam. Quicquid sit de illis, verisimile est Deum nominati tali nomine, & hoc five illud nomen sit impostum ab ipso Deo, vel ab Angelo cognoscente ipsum Deum, vel a viatore: verisimile est enim, quod multa nomina sint in sacra Scriptura distincte illam essentiam significantia, sicut Judæi dicunt de nomine Dei, quod vocant Tetragrammaton. Et videtur Deus dicere *Exod.* 3. *Hæc dices filiis Israel, qui est, misit me ad vos: hoc nomen mihi est in æternum: & cap. 6. Ego Dominus, qui apparui Abraham, &c. nomen meum Adonai non indicavi eis.* Est ergo Deus nominabilis a viatore nomine significante propriam essentiam, ut est hæc essentia: quia viator potest uti illo signo, & intendere exprimere significatum illius signi, five ipse impulerit illud signum, five alius quicumque, qui cognovit significatum, & tali etiam signo potest viator uti tanquam nomine; licet non poterit illud imponere tanquam signum. Si autem ista propositio est verã, quod nullum nomen potest alicui imponi distinctius, quam intelligatur: hæc tamen est falsa, quod nullus potest uti nomine distinctius significante rem, quam ipse possit intelligere. Et ideo simpliciter concedendum est, quod multis nominibus uti potest viator exprimentibus essentiam divinam sub ratione essentia: divina.

Post prædicta differendum nobis videtur de nominum diversitate, &c. *dist.* 2. secundum quod ait Apostolus ad Rom. 10. *Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Secundum hoc Magister in isto primo libro, postquam ostendit quid de Deo, & divinis sit credendum, in hac secunda parte docet qualiter de creditis loquendum est, & quod ista distinctio sit secundum intentionem ejus patet consideranti litteras huius distincti. in princ. Hæc autem pars dividitur in duas in præmiis tractatum, qui incipit ibi. Illud ergo præcipue, & illa dividitur in duas. In prima determinat de nominibus divinis in communi ponendo duas differentias nominum dictionum de Deo, secundo exequitur de illis differentiis separatim, & sigillatim, & illa pars incipit ibi. Sciendum est; ergo, & illa secunda in duas. In prima determinat de nominibus, de quibus sufficit breviter tractare. In secunda determinat, de quibusdam, quæ specialiter, & difficiliorem tractatum requirunt, secunda incipit ibi in princ. *dist.* 36. Cumque supra differimus prima in duas. Primo determinat de nominibus absolutis. Secundo de relativis in *dist.* 26. Nunc de proprietatibus personarum. Prima in duas. Primo de nominibus absolutis ponit regulam, ex qua apparet distinctio eorum a nomi-

minibus relatis. Secundo excipit ab illa regula communi hoc nomen, persona, & hoc in dist. 23. Prædictis adiciendum, prima in duas, quia primo ponit regulam illam, & probat eam per Aug. secundo adducit provisionem Augusti, qui probat conclusionem illam assumptam secunda ibi, Deus autem non est magnus ea magnitudine, &c.

## Q U Æ S T I O I I.

Utrum Deus sit nominabilis ab aliqua creatura ?

Doctores citati pro quest. præced.

Circa istam distinctionem quero, Utrum Deus sit nominabilis ab homine viatore aliquo nomine proprio? Quod non Augustinus de verbis Domini, cap. 34. *Quidquid potest fieri non est ineffabile: Deus autem est ineffabilis.* Hanc minorem probat Augustinus per hoc, quod continuo dicitur dicens. Si enim *capitulum se dicit Apostolus Paulus usque ad tertium calum, & audisse ineffabilia verba, quanto magis, & ipse ineffabilis est, qui talia demonstrat.* Præterea Augustus super Joann. homil. 19. exponens illud Joannis 4. *Non potest Filius facere quicquam, nisi quod viderit Patrem facientem: dicit quod videre Filii est ipsum esse Verbum Patris, quod demonstrari vere non potest.* Præterea: Hilarius, 3. de Trinit. cap. 9. *Sermonem humanæ naturæ virtus generationis excedit.* Item Ambrosius 1. de Trinit. cap. 5. *Vox filii non meatantum, sed & Angelorum: loquitur de generatione Filii.*

Præterea per rationem. Nihil potest significari ab aliquo, quod ab ipso non potest intelligi: sed Deus ab homine viatore conceptu proprio non potest intelligi: ergo, &c. Major probatur auctoritate Aristot. & Commentar. 4. *Metaph. etiam ad propositum auctoritate Augusti, 7. (a) de Trinit. cap. 4. Verius cogitatur Deus, quam dicitur, & verius est, quam cogitatur, & per Philosophum primo Perichærias, voces sunt nunc passionum, id est conceptuum: ergo non potest esse aliquid significari remoti, nisi sub ea ratione, sub qua conceptus est signum proximum illius: minor probatur Exod. 33. (b) *Non videbit me homo, & vivet, & per rationem, quia ille conceptus proprius, si habetur, includeret virtualiter notitiam omnium illorum propriam, que necessario insunt Deo, hæc consequentia probatur, quia universaliter etiam in creaturis, conceptus proprius subiecti, virtualiter includit notitiam propriam illorum, que insunt subiecto, & tunc sequitur ultra, quod sicut habens proprium conceptum subiecti potest naturaliter scire omnia scibilia simpliciter de subiecto: ita viator habens talem conceptum potest naturaliter scire omnes veritates de Deo necessarias, & per consequens om-**

omnia illa, de quibus habemus fidem quantum ad unitatem, & Trinitatem in divinis, & quantum ad potentiam creativam, & incarnativam, & sic de aliis necessariis convenientibus ipsi Deo. Oppositum videtur in Psalm. *In Israel magnam nomen ejus: & Exodi tertio. Hæc dices filiis Israel: qui est misit me ad vos, hoc nomen vobis est in æternum.*

Item August. contra Adamantium cap. 7. *illa sublimitas inaccessibilis, ut auribus congruat humanis sensis servanda est.* Præterea per rationem, viator potest habere proprium conceptum de Deo: ergo, & nomine proprio nominare: antecesser probatur, quia naturaliter ratione potest cognoscere aliquid eius esse primum, & infinitum, & illud esse unicum, & esse hoc: ergo potest habere conceptum de illa essentia ut est hæc: talis conceptus maxime videtur proprius esse de quocumque objecto, scilicet concipere ipsum, ut est hoc in se.

Hic est opinio talis, Nomen, sive verbum vocis debet esse symbolum inter loquentem, & illum cui loquitur sic, (a) quod res significata sit nota utrique in se, & notum etiam sit utrique, quod nomen ad significandum ipsam rem sit institutum: sed unitas divinæ essentiz nota est ipsi Deo soli, quoad rationem immanentis sitæ: ergo solus Deus nomen sibi proprium vocale potest appropriare. Subdit quasi pro secunda minori fundenda sub prima majore, quod Beati cogoscunt illam essentiam in se: ergo aliquo verbo, ut signo illius essentiz sub propria ratione possunt ipsi Deum nominare, sive illud verbum sit institutum a Deo, sive ab aliquo Beato. Tertia minor est, quod viator non potest concipere divinam essentiam, nec secundum rationem immanentis, quia est proprium Deo; nec eo modo, quo Beati vident, & ideo signum impositum illi essentia primo modo, vel secundo modo non potest eos ducere ad aliquam divinæ essentiz notitiam, sicut nec se perducit cæcus ad notitiam coloris per verba, sicut videntes colorem, & cognoscentes per rememorationem perducunt se ad coloris notitiam. Quarta minor, intellectus viatoris aliquo modo potest concipere Deum: ergo proportionabiliter nominare. Addit ibi, quod nullum nomen proprium Deo ad placitum viatoris impositum potest esse translatum a creaturis. Quia quodlibet etiam tale nomen est commune creaturis, & primo illis impositum. Sed debet illud nomen primo, & principaliter ei imponi, pro tanto tamen, quod de Deo a creaturis potest cognosci. Infert ulterius, quod hoc nomen Deum, ex impositione sua significat, quod est perfectissimum simpliciter, quasi in summa, & in generali, respectu aliorum nominum, que quasi particulariter exprimunt aliquid, quod rationem dignitatis habet in Deo, ut sunt *sapientis, bonus, &c.* hoc etiam nomen *Dius*, primo est sibi impositum, ita quod creaturæ non convenit nisi translative, sicut Moyses dicitur esse Deus Pharaonis, *Exod. 7.* ideo inter omnia nomina Latina, nomen proprium est sibi hoc nomen *Deus*,

& sic est proprium sibi in lingua Graeca, hoc nomen *Theos*.

De ratione huius opinionis quomodo maior habeat veritatem, dicitur in solutione quaestionis. Sed minores, vel diversae partes eiusdem minoris dubiae videntur. Prima quidem, quod solus Deus cognoscit se sub ratione immensitatis suae, quantum ad affirmativam, quod ipse sic cognoscit se, est certissima: sed quantum ad negativam, & quod nullus intellectus sub illa ratione illum cognoscit, improbat: sic. Nulla potentia operativa potest perfectissime quietari, nisi in objecto includente summam perfectionem possibilem objecto adequato ipsius potentiae: immensitas, sive infinitas, est perfectio simpliciter perfectius entis, vel vero, vel cuiuscunque rationi transcendenti, & aliquod eorum est objectum adequatum cuiuscunque intellectus: ergo intellectus creatus non perfecte quietatur, nisi in Deo sub ratione immensitatis suae. Major apparet, & in exemplo de visu, & convenientissimo visibili, & etiam ratione, qua quocunque alio habito, adhuc inclinatio potentiae est ad aliud non habitum, & principalis, quam ad istud habitum. Prima pars minoris probata est d. 2. q. 1. & secunda pars d. 3. q. 3. Secundo sic: Sola intellectio comprehensiva Dei repugnat intellectui creato: sed alia de Deo sub ratione immensitatis eius potest esse non comprehensiva eius: ergo, &c. Minor probatur, quia actus comprehensivus objecti infiniti, est infinitus intensive, quia est perfectus in ratione actus, sicut objectum in ratione objecti, & ideo simpliciter adequatus. Sed objecti, ut immensitas, potest esse actus non infinitus: quia sicut objectum potest esse simpliciter perfectus actus, & hoc sub illa ratione, sub qua est objectum actus: ita & infinitum sine infinitate actus. Confirmatur quia non apparet, quare circa objectum sub ratione infinitatis non posset esse, vel haberi actus perfectior in uno, & minus perfectior in alio. Ex hac parte minoris improbat, improbat conclusio, correspondens. Primo sic, nominantem objectum sub aliqua ratione, non oportet comprehendere illud sub illa ratione: sed sufficit quod distincte apprehendat illud: intellectus creatus potest sic apprehendere Deum sub ratione immensitatis, ut patet ex rationibus iam positis: igitur, &c. Major probatur, quia Adam imposuit nomina propria diversis speciebus animalium, *Genes. 2.* & tamen non comprehendit illas, quia tunc aequae perfecte novisset eas, sicut Anima Christi, quod non tenetur. Tertio, quia signum naturale verius significat, quam signum ad placitum: intellectio creata potest esse signum naturale Dei secundum rationem immensitatis illius: igitur sic intellectus potest imponere signum ad placitum sibi sub illa ratione. Minor probatur, quia intellectio, ut est objecti, est naturale signum eius, 1. Petibetnienis, *passiones sunt nomine rerum, & naturaliter*, & hoc ideo, quia propria intellectio est propria ratio objecti. Probatur etiam pars, quod aliqua intellectio creata potest esse sub ratione immensitatis. Secundo: quia nomen quodcumque est signum finitum, etiam imponit

a De quo sup. d. 2. q. 1. & de 3. q. 3.

natur a Deo sibi secundum rationem immensitatis suae: ergo ad hoc ut sit alie in intellectu signum, non oportet quod illud habeat intellectum in intuitum. Potest igitur Deus quocunque nomine nominari ab intellectu finito; immo plus, non potest Deus se nominare aliquo nomine; ita excedente nomen, quod nominabilis est a beato; quantumcumque comprehensio Dei excedit apprehensionem beati. Nec mirum, quia nec necessarium est nobis est proportio nominis ad nomen in significando, sicut intellectio ad intellectum imponens; vel dicentis: & ideo nomen ab intellectu positum potest esse signum amabilis: ergo ita hic, nomen impositum a Deo comprehendente, potest esse commune sibi, & Beato, quia tantum finite significat: nec per consequens infinitam intellectioem in utente requirit. (a) Quarta pars minoris (licet sit in se vera, tenendo quod viator non potest habere proprium conceptum quidditativum de Deo, & Beatus nomen imponit ad significandum conceptum proprium, qualem habet de Deo) tamen arguitur quod repugnat dictis illis abbi. Primo sic: concedit enim viatorem aliquem conceptum quidditativum posse habere de Deo; & patet quod (b) alius nullum posse habere qualitativum, vel relativum de ipso. Nam conceptus qualitativus semper requirit conceptum quidditativum, cui inest: sed secundum ipsum non potest haberi conceptus quidditativus de ipso communis Deo; & creatura: igitur erit proprius: nam simpliciter primo diversus a conceptu creaturae: ergo nomen impositum a beato ipsi Deo sub propria ratione non sic erit viatoris, sicut nomen coloris caeco nato. Si dicatur, quod non potest viator Deum intuitively intelligere sicut Beatus; hoc non obstat, quia nunquam per nomen sit cognitio intuitiva rei significatae; sed tantum quaedam rememoratio ad considerandum rem prius notam. Apparet in exemplo: nam caecus non natus, qui aliquando vidit colorem; bene utitur nomine *coloris* tanquam signo communi sibi, & videnti, quia utique per rememorationem potest intelligere colorem, licet caecus nunc non possit intueri colorem.

Secundo sic, objectum perfectum potest facere in intellectu proportionato quemcumque conceptum realem possibilem haberi de se. Hoc probatur, quia etiam hoc potest objectum minus perfectum: sed essentia divina secundum istum in intellectu proprio non potest causari nisi unicum conceptum realem: alii autem hi habentur, & habentur per negationem sui intellectus; ergo unicus conceptus realis est possibilis de illa essentia. Igitur si habet aliquem conceptum de Deo, ille erit proprius. Nec accipitur in illa ratione conceptus pro actu concipiendi, sed pro obiecto formali terminante actum. Huius rationis, licet maior videatur probabilis; tamen negaretur de intellectu proportionato, id est, infinito; quia ille est comprehensivus unicus conceptus: & ita non capax multorum de obiecto, sicut intellectus non comprehensivus. Negaretur etiam de quocunque intellectu

a Henric. quodl. 5. quaest. 1. & quodl. 12. quaest. 1.  
b Exod. 3. quaest. 3. Quantum ad secundum.

intelligendo de objecto immediate in se movente, quia ipsum propter perfectionem suam, non movetur ad conceptus imperfectos possibiles haberi de se, per motionem aliorum objectorum imperfecte ducentium in cognitionem ejus.

Ad questionem præmitto quædam. Primo, quod nomen quodcumque aliquid significans, quod huic soli potest inesse, potest dici proprium nomen huic: sed simpliciter nomen proprium huic non est, nisi quod primo significat hoc sub ratione propria, quia solum illud est proprium signum vocale huic. Secundo præmitto, quod nominatur ab aliquo, potest intelligi dupliciter, vel ut nomen imponente, vel ut nomine utente, & utrumque dupliciter, scilicet, perfecte, vel imperfecte. Perfecte uti nomine, est non tantum uti nomine, ut re quadam naturali, formando scilicet sonum illum; sic enim potest avis edoceri formare; sed est uti nomine, ut signo non tantum conceptus possibilis haberi ab aliquo per illud nomen: sic postea Latinus aliquod verbum Hebræum proferat Hebræo, nesciens quid diceret, sed ut signo conceptus habiti ab utente, ut sic perfecte uti nomine, si illo utitur signo conceptus proprii expressivo. Uti autem illo, ut quodammodo causa similis conceptus habendi ab audiente per rememorationem, non est necellarium ad perfecte uti simpliciter, sed ad perfecte uti illo, ut signo communi inter duos. Et ideo requirit ad hoc, quod est uti nomine perfecte moraliter, quia requiritur ad utendum nomine ad finem debitum, & hanc utrumque perfectionem tangit Augustinus *super Execl. Verba in istis sunt, per qua in alterius notitiam quique cogitationes suas proferat. Per qua quisque cogitationes suas proferat*; Ecce perfectio prima: in alterius notitiam; Ecce secunda. Intellige, *alterius*, vel quasi alterius, quia quandoque aliquis seipsum alloquendo efficacius ducit in intelligendo per rememorationem, quam si sine loquela intelligeret, & in notitiam non tunc novam. Sic loquimur Deo, orando. Item de prima perfectione, *cogitationes suas*, distingue, vel habet conceptum ita proprium sicut nomen significat, & tunc significat perfecte cogitationes suas; vel habet minus proprium, vel con-usum, utpote non habens nisi conceptum animalis, proferat hanc vocem, *homo*, intendens illud exprimeret audienti, quod alii concipiunt per nomen, & ad quod est impositum, sciens ipsum esse impositum alicui speciali sub animali, quod tamen non intelligit in particulari, sicut significatur per hoc nomen. Est igitur hic ordo, uti nomine, ut re tali, ulterius ut signo ad placitum alicuius, cuius tamen nullum conceptum habet utens, nisi in hoc universalissimo, quod est aliquid significatum hoc nomine. Tertio, uti nomine ut signo alicuius, cuius conceptum universalem tantum habet, ut *ens*, intendit tamen illud exprimeret, ut significatur per nomen, licet illud sic in particulari non concipiatur. Quarto, uti nomine, ut signo expressivo proprii conceptus in particulari, & semper hic prior gradus est imperfectior respectu posterioris. Primus igitur est imperfectissimus, ultimus simpliciter perfectus. His præmissis ad questionem sit prima conclusio; quod possibile est Deum simpliciter

ter nomine proprio nominari a viatore imperfecte secundum tres gradus priores prædictos. Secunda conclusio est, non est hoc possibile perfecte, scilicet secundum quartum gradum.

Tertia conclusio est qualiter de facto a nobis nominatur. Prima probatur, quia si non, hoc esset, quia non potest habere conceptum proprium de Deo, & oportet rem sic concipi concipi nominatur: sed ista secunda est falsa. Probo: de nulla substantia habemus conceptum proprium, & per se: si igitur non est possibile distinctum nominare, quam concipere, sequitur quod viator nullo nomine significat aliquam substantiam distincte, neque ut utens nomine: neque aliquid non-ens impositum a viatore signabit aliquam substantiam distincte. Conf. quæ est falsum, igitur & antecedens. Nam illa propositio prima quod non intelligamus aliquam substantiam distincte, probata est supra *diff. 3.*

(a) Qualiter autem oppositum consequentis sit verum, quia hoc est præambulum ad propositum, declaratur primo de nominatione substantiæ, utendo nomine imposito. S. cundo, de nominatione ejus imponendo sibi nomen. Primum sic, hæc minor, per hoc nomen *homo*, non intendimus tantum significare animal, patet, sed aliquid sub animali distinctum ab equo, & aliis. Unde hæc est nobis nota tantum vera, *homo per se distinguitur ab equo, &c.* nec intendimus per hoc nomen significare aliquid accidens, vel aliqua accidentia, imo speciem in genere substantiæ tantum. Unde hæc est nobis vere cognita, homo per se distinguitur a quocunque accidente, distinctio etiam maxima: quia secundum genus generalissimum, nec intendimus significare aliquam descriptionem ex animali, & accedente, vel accidentibus; imo aliquid per se unum, & in se natum habere unum per se conceptum definitivum. (b) Quod autem intendimus significare sub propria ratione, nec tamen illud sic intelligimus; nominamus imperfecte secundum tertium gradum, & modum, ut dicitur est prius; quare, &c.

Consimiliter patet de impositione, sicut de usu. Sicut enim si Adam intelligens hominem sub propria ratione imposuisset sibi nomen proprium, quo ego utens intendo illud significare, sicut nomen est sibi impositum, de quo tamen non habeo conceptum nisi in universalis imperfectum, vel per accidens, vel in quadam descriptione: sic si idem nondum nominatum, sicut intelligerem, possem sibi nomen imponere, intendens per illud nomen sic ipsum significare, sicut tunc intendo per nomen significare ab alio sibi impositum, & hoc modo licet quandoque imponens non habuit conceptum de re, nisi in quadam descriptione, quam significat ethymologia nominis; non tamen impositum est nomen ad significandum illam descriptionem, sed illam substantiam, cuius est illa descriptio, sicut hoc nomen *lapis* non est impositum ad significandum actionem istam *ledere pedes*; quia tunc lapis per se esset in genere actionis: sed imponitur illi substantiæ sub propria ratione, cuius est hæc descriptio, *lædere pedes*. Hoc patet etiam, quia eidem quandoque imponuntur multa nomina secundum multas proprietates;

non ab eadem proprietate, sed alia, ut *lapis petra*. Nec imponatur illis proprietas: quia tunc non esset ejusdem per se in numero: imo nomen unum alicujus esse de genere actionis, aliud alicujus de genere passionis, ut *petra pede trita*. Patet igitur, quod alia est ratio, a qua nomen imponitur, & hoc significat echnologia: alia cui imponitur, & ita licet imponens non habuit distinctum conceptum, nisi rationis a qua imponitur, non tamen illi nomen imposuit, sed illi substantiæ, cujus est hæc descriptio, & hoc suo propria ratione, quam tamen non sic intelligit, & per consequens ille nominat, ut imponens imperfecte secundum tertium gradum.

## D I S T I N C T I O XXIII.

Circa istam distinctionem vigesimam tertiam quero unum.

## Q U Æ S T I O U N I C A.

*Utrum persona secundum quod dicitur aliquid commune Patri, Filio, & Spiritui sancto, dicat præcise aliquid secundæ intentionis?*

Quod non, probo, quia persona est terminus productionis realis, & adoratur: secunda iuratio non terminat productionem realem, nec adoratur: ergo, &c. Præterea, Trinitas in divinis non est tantum conceptum, sed rerum contra errorem Sabellii. Contra, omne commune pluribus univocum, & distinctum, & plurificationem in eis, dicitur de eis secundum aliquam rationem universalem: persona est commune univocum Patri, & Filio, & Spiritui sancto, & plurificationem in eis erant secundum August. 7. de Trinitate cap. 4. & 6. ergo dicitur de eis secundum aliquam rationem universalem. Et si dicat aliquam intentionem secundam, vere est in divinis aliqua ratio universalis, quod non videtur conveniens: si vero dicit intentionem primam, erit in divinis universalis reale commune, & ita aliqua realitas potentialis, quod videtur inconveniens.

Hic dicitur, quod persona tantum dicit intentionem secundam, quia sicut individuum reperitur communiter in omni natura substantiali, & persona in natura intellectuali: sed individuum, & suppositum dicuntur tantum secundæ intentionis: ergo & persona dicit tantum rem secundæ intentionis. Confirmatur ratio, quia natura, in qua sunt ista, ut essentia, non est de per se ratione istorum: ponitur enim in distinctione istorum, ut additur: igitur non variat rationes formales istorum. Item omne commune dictum de pluribus, dicitur de eis secundum rationem alicujus universalis: ergo si persona significet rem primæ intentionis communem tribus, illa dicitur de eis sub ratione generis generalissimi, aut alicujus intermedii, aut secundum rationem speciei specialissimæ, quorum opposita sunt manifesta. Quod non fit species specialissima, manifestum est, quia tunc sequeretur, quod duæ erunt quasi species specialissimæ respectu earundem per-

personarum. *Deitas enim*, secundum Damasc. cap. 4. notat quasi speciem circumplexivam hypostation: & persona etiam notabit speciem specialissimam respectu earundem: ergo, &c. Additur huic opinionioni, quod licet persona dicat aliquid secundæ intentionis, non tamen dicitur illud in abstracto, sed in concreto, & ideo potest prædicari de re primæ intentionis, & supponere pro ea. Exemplum, species est secundæ intentio, ibi accipitur species pro ipsa intentione in se, & species prædicatur de pluribus differentibus numero, ibi accipitur species pro re, quam denominat: non enim prædicatur hic hæc intentio species de pluribus, ut videtur, sed homo, vel animus, de quibus dicitur hæc intentio.

Contra istud, & primo contra opinantem, quandocumque a formalibus constitutivis aliquorum, potest abstracti aliquid commune primæ intentionis, pari ratione, vel majori, potest abstracti aliquid commune a constitutis per illa: persona autem divinx secundum istos constituantur per relationes formaliter: ab illis autem constitutivis potest abstracti aliquid commune reale primæ intentionis. Patentia enim est relatio, filiatio est relatio, & hoc univoce sumendo relationem: quia potest esse certitudo de conceptu relationis ad intra, dubitando de quolibet conceptu speciali, & talis sic certus non tantum habet certitudinem de voce, sed de conceptu aliquo: ergo conceptus ille de relatione in communi alius est a conceptu illius in speciali. Ergo multo magis a constitutis per istas relationes poterit abstracti aliqua res primæ intentionis. Assumptum autem de invocatione relationis magis parebit inferius in ista quæst. Contra opin. in se, quia omnis intentio secundæ est relatio rationis, non quacumque, sed pertinet ad extremum, vel actum intellectus componentis, vel dividendi, vel saltem conferentis unum ad alterum: hoc patet, quia intentio secundæ secundum omnes causas per actum intellectus negotiantis circa rem primæ intentionis, qui non potest causare circa objectum, nisi tantum relationem rationis, persona autem non dicit relationem rationis, & præcipue non dicit relationem pertinentem ad actum in intellectu comparantis. Quod autem non dicit aliquam relationem rationis videtur, quia tunc saltem necessario coexistere correlativum, ad quod referretur: quia impossibile est intelligere relationem, & non esse ad aliquem terminum, & correlativum: sicut omnis intentio secundæ requirit correlativum, ad quod referretur, ut species respiciat genus pro suo correlativo, & particulare universale pro suo correlativo, & sic de aliis: persona autem non dicitur alicujus persona: vel saltem non dicit extremum intellectus conferentis.

*Tertio ratio, quod dicit intentionem relatio rationis, quia extremum in quantum uno modo dicit intentionem primam, concedo, quod negationem duplici incommunicabilitatis per se significat ultimates, igitur non intentio secundæ. Contra, negatio est non ens incommunicabile dignitatis. Respondetur ultra essentiam conveniatur de modo positivo, quod sequitur incommunicabilitatis. Dubium est, si persona illum per se significat, si non, tunc est tantum commune nega-*

*tionem, si se quando illud non universale nec includit, quia illa sequitur omnem privam negationem, non sequitur modum positivam, quomodo contraditur ad ultima distinctiva?*

Item duco rationem eorum ad oppositum, quia unitas est passio entis, sicut patet 4. *Metaphys.* & per consequens consequitur rem ex natura rei, & maxime est verum de illa unitate, quae est veritas, cuiusmodi est unitas individui: & per consequens consequitur rem ex natura rei, & sicut non unitas in communi, ita nec unitas in natura intellectuali: si igitur persona dicat unitatem in natura intellectuali, sicut individuum in communi: sequitur oppositum conclusionis eorum.

Præterea, contra rationem secundam Augustinum de *Doctrina Christiana*, & ponitur in littera *diffin. 1. & diffin. 7. 25. primi lib. dicit, quod res quibus fruendum est, sunt Pater, Filius, & Spiritus sanctus*: nam secundum ipsum tres personae sunt tres res: res autem non videtur dicere secundam intentionem, & tamen est commune tribus personis, & numeratur in eis: ergo non oportet dicere personam significare secundam intentionem, quia est commune numeratur in multis. Magister etiam *diff. 25. cap. 8.* exponit tres personas per tres subsistentias, vel tres subsistentes: subsistentia autem non videtur significare rem secundae intentionis, & tamen est commune tribus, & numeratur in eis. Item praedicata opinio quaerit quomodo persona possit univoce praedicari de pluribus individuis, nisi sit universale, sed eandem difficultatem patit de relatione, & eodem modo sequitur: magis enim videtur, quod a constitutis possit abstrahi commune, quam a constitutentibus: sed quomodo potest abstrahi aliquid commune primae intentionis, & tamen non universale reale, dicitur *diff. 26.* Præterea, contra (a) additum arguo sic. Adjectivum non determinat aliquid, nisi illud ad quod retinetur eius dependentia, sed adjectivum non potest terminare dependentiam alterius adjectivi, quia aequaliter dependent, & ambo sunt eque dependentia: ergo neutrum determinat alterum: ergo si hoc nomen, persona sit, tale concretum, non potest terminare dependentiam alterius, cuiusmodi est ille terminus numeralis tres. Igitur non bene diceretur, quod sunt tres personae, nisi intelligendo aliquid substantivum, quod determinetur per utrumque adjectivum: sed non est dare aliquid substantivum tale sub intellectum ergo, &c.

Non potest terminare dependentiam (b) alterius adjectivi cuiusmodi est terminus numeralis tres, igitur nec per ipsum determinatur. Respondeo, multa sunt concreta quae non sunt adjectiva sicut causa, genus, species. Contra adjectivum argui, non contra concretum. Etiam post illa verba posita in principio responsionis ad quaest. ibi. Ad quaestionem respondeo, quia se sequeretur animam esse personam, quod est inconveniens.

Ad quaestionem respondeo, quod accipiendo definitionem personae,

nam, quam ponit Ricard. 4. de *Trinitate*, cap. 22. quod est intellectus naturalis incommunicabilis existentia, per quam definitionem exponitur, vel corrigitur definitio Boetii dicentis, quod persona est rationalis natura individua substantia, quia sic sequeretur animam esse personam, (a) Multi volunt addere, & deitatem esse personam, & etiam non convenire proprie Deo, quia individuum non est, nisi ubi est dividuum, quod non convenit Deo. Similiter tantum proprie nomen persone conveniret homini, qui communitate solus proprie dicitur rationalis, quod est inconveniens. Dico, quod nihil proprie est in hac definitione Ricard. Quod significet intentionem secundam: quia ex natura rei sine omni operatione intellectus est in Patre natura intellectualis, & entitas incommunicabilis: ista autem incommunicabilitas duplex est, quod potest intelligi ex supra dictis in *diff. 2.* quia communicabile pluribus dicitur dupliciter: Uno modo (b) dicitur communicabile pluribus, quod est idem esse inter eorum, ita quod quodlibet sit ipsum, sicut universale dicitur communicatum suis inferioribus. Alio modo communicatur alicui ut forma, quia aliquid est tale secundum ipsum, sed non est ipsum, ut anima communicatur corpori, & utroque modo deitas est communicabilis, & neutro modo persona est communicabilis. Et ita duplex est incommunicabilitas pertinet ad rationem personae, propter quod anima separata, licet habeat primam incommunicabilitatem, tamen non est persona, quia non habet secundam, & utraque incommunicabilitas requiritur ad rationem personae, & est in re ex natura rei, & ita nihil de ratione personae dicit intentionem secundam. Contra istud potest obijci, quia secundum istud videtur, quod persona tantum significet duplicem operationem duplicis communicabilitatis.

Item arguo sic, si persona dicit (c) formaliter incommunicabilitatem: ergo formaliter dicit negationem: sed negatio est secunda intentio, cum sit res rationis: ergo persona dicit rem secundae intentionis, quod est propositum. Respondeo, quod persona non tantum dicit incommunicabilitatem, sed dat intelligere naturam intellectuales in qua est, sicut individuum naturam in communi. Dubito tamen, si dicat existentiam formaliter cum duplici incommunicabilitate, aut dicat tantum formaliter incommunicabilitatem, & existentiam in concreto tanquam modum habendi naturam, ut sit sensus. (d) Persona est incommunicabilis habens existentiam in natura intel. dicitur: & positio, quod sit effectus: ad hunc dico, quod persona non dicit intentionem secundam, quia secunda intentio solum causatur per intellectum negotiationem circa obiectum. Quidquid igitur movet intellectum ad intentionem alicui negotiationem, non est intentio secunda: sed res movens intellectum movet ad negotiationem sui obiecti ante negotiationem intellectus, quia negatio talis consequitur rem ex natura rei ante negotiationem, & hoc idem est, quia

a De hoc sup. *diff. 12. 94.* b *Addit.*

a *Addit.* b *Part. 2. qu. 1. 8. ad qu.* c *Addit.*  
d *De hoc in 3. *diff. 1.**

quia unum oppositorum movet ad nihilam sui oppositi ante negotiationem intellectus: propter quod dicit Philoſophus (a), quod eadem efficientia oppositorum: ideo quamvis ponatur perſonam tantum dicere formaliter negationem, non tamen intentionem secundam, quia negatio, qua conſequitur ex natura rei, non est ſecunda intentio, & precipue negatio in genere, cuius est incommunicabilitas. Quando igitur dicitur, quod negatio est ens rationis dicitur, quod est negatio entitas ex natura rei; sicut enim Sortes est homo ex natura rei, ita est non alius ex natura rei; sunt autem negationes in intellectu entitates, quia prima motio intellectus non ante affirmationem, sed negationem, est ad apprehensionem negationis. Sic igitur tenet, quod persona non sit nomen ſecunda intentionis; sed prima, & quod formaliter significet duplicem negationem communicabilitatis, & quod imparet naturam intellectualem, & forte formaliter etiam imparet existentiam personae, & tunc non tantum negationem communicabilitatis importat, sed etiam positivum aliquod, vel forte non dicit formaliter existentiam, & tunc de formalis significatio est tantum duplex negatio, dum intelligitur duplex positivum, scilicet naturam, & modum habendi naturam. Et per hoc, quacunque via data, patet ad argumenta; quod si persona dicat existentiam in abstracto, & modum habendi naturam in concreto, est formaliter positivum, & tunc persona est formaliter existentia incommunicabilis habens naturam intellectualem. Si autem tantum formaliter imparet negationem, tunc connotat existentiam in natura intellectualem, & sic fiat pro illo, quod est incommunicabile, & sic adoratur, & est terminus productionis realis.

Ad aliud argumentum patet d. 25. alibi.

Et si hoc sit verum, tunc videtur dubium quomodo negatio possit esse communis tribus personis, nisi affirmatio aliqua sit eis communis, propter quam inſit eis talis negatio, quia negatio non videtur tribus convenire, nisi conſequatur affirmationem; non est autem deitas ista affirmatio, quia ipsa non numeratur in rebus; ergo oportet dare aliquid commune positivum prius ab eis abstractum, quam lit negatio talis, & tunc habetur positivum. Si etiam dicat persona talem negationem practice, non videtur dicere totam rationem personae; quia persona dicitur rem ad dignitatem, vel ad perfectionem pertinentem; neque autem nullam dignitatem, vel perfectionem ponit. Videtur etiam, quod dicat relationem rationis per hoc, quod suum oppositum, scilicet communicabile tantum dicit relationem rationis in essentia divina: est enim essentia communis Filio, & tamen essentia non reſertur realiter ad Filium; ergo incommunicabile dicit relationem rationis. Ad primum illorum dicto (b), quod ab ultimis distinctivis, & constitutivis personarum nihil potest abſtrahi commune dictum de eis in quibus, quia illa sunt primo diversa, id est nihil idem realiter includentia;

tunc

tunc enim esset querere de eis per quid distinguerentur. Et ideo omne commune abstractum ab eis, vel est conceptus omnino negativus, vel saltem non est quiddamvis conceptus unius rationis. Certum est autem, quod aliqua negatio communis potest abſtrahi ab illis ultimis, & hoc unius rationis; quia negatio est unius rationis per hoc, quod repugnat affirmationi unius rationis. Quibuscumque igitur requiratur affirmatio unius rationis convenit negatio unius rationis: & ita tribus personis, & etiam distinctivis illarum ultimis potest competere negatio aliqua communis, si illa dicatur esse incommunicabilis: & si ponatur incommunicabilitatem solum esse de per se ratione constitutivi personae, ita quod personalitas sit incommunicabilitas substantis in natura intellectuali, & ita omnia alia praeter primum sunt addita in ratione personae, tunc persona proprie non dicitur aliquid conceptum proprie positivum.

Sed tamen non dicit aliquid conceptum ſecunda intentionis; omnis enim conceptus est intentionis primae, qui natus est fieri immediate a re sine opere, vel actu intellectus negociantis, qualis est conceptus non tantum positivus, sed negativus. Tamen dubitatur, quomodo potest negatio esse communis sine positivum, cui inſit. Respondetur quantumcumque diversis, si nihil etiam commune haberent, potest esse negatio communis: sicut non Sortes est commune univocum ad omnia alia a Sorte, entia, & non entia: & licet illa, quibus negatio est communis, habeant aliquid positivum commune, non tamen oportet, quod per illud commune inſit eis negatio communis: *Non rationalitas* enim convenit ultimae differentiae animi, & equi, & non per aliquid commune in illis, quibus convenit ista negatio; quia vel nihil est commune differentis ultimis, vel si entitas est eis communis, non propter entitatem convenit eis talis negatio, sicut nec propter entitatem repugnant eis talis affirmatio. Et sic dicendum, quod maior est falsa, quia negatio est unius rationis, quia opponitur affirmationi unius rationis, & non quia conſequitur affirmationem unius rationis: *non homo* enim est unius rationis, quia homo, cui opponitur, est unius rationis, & non quia conſequitur affirmationem unius rationis: non homo enim commune est enti, & non enti, quibus nihil affirmativum, sive positivum est commune.

Cum ſecundo obijciatur, quod negatio non dicit aliquid ad dicitatem pertinentem, & ad hoc etiam possunt adduci rationes ad principale, quia negatio non adoratur, nec etiam est terminus actionis realis. Posset dici, quod negatio in genere differat a negatione extra genus, & a privatione. Privatio quippe requirit subiectum aptum, vel secundum se est privatio secundum se, vel secundum genus, si est privatio secundum genus: sicut talpa dicitur caeca 5. *Metaph. de privatione*. Negatio (a) extra genus absolute nihil requirit, quia aequaliter dicitur de ente, & de non ente, negatio autem in genere, quasi mediat, quia requirit subiectum, de quo dicatur, non tamen aptitudinem ad formam: talem forte

forte



forte negationem impoat diverfitas, de quo alias, quia negat identitatem, vel notat non identitatem talem in ente: ergo talem poteft nominare incommunicabilitas, ut imoatrat in perfona, quia notat negationem duplicis communicabilitatis in natura intellectuali: nec tamen dicit aptitudinem ad aliquam communicabilitatem, fed negationem illam in natura positiva intellectuali, & ita dicit aliquid pertinens ad dignitatem, non ratione fignificati, fed ratione connotati, & fubjecti, & fic poffet concedi perfona generati, & adorari, ficut cecus ambulat, vel amatur, non quod cecitas fit ratio ambulandi: fed quod illud, in quo eft talis privatio, fit fubjectum refpectu talis predicati. Cum arguitur de communicabili, & incommunicabili, dico quod unum oppofitum poteft elfe relatio rationis, & alterum relatio realis, vel faltem negatio, vel privatio realis alicujus relationis, ficut *idem* pertinet ad identitatem dicit relationem rationis *5. Metaph. cap. de eodem*, & tamen *diverfum*, quod negat ftram identitatem, convenit rei abique ratiois, & intellectus. Et ratio eft, quia licet aliquid non conveniat rei, nifi ex opere, vel actu intellectus; tamen poteft repugnare rei ex fe fine actu intellectus; fic *Sorri* univerfalitas repugnat, quae tamen non convenit homini nifi per actum intellectus operantis, & negotiatis circa hominem.

Et igitur communicabilitas dicit tantum relationem rationis in effentia: tamen poteft repugnare perfona ex aliquo quod eft in re, & propter idem poteft fibi incommunicabilitas competere. Ifta igitur via fuppofta ficut certa, quod a perfona poteft abfttrahi aliquis conceptus negativus negationis in genere, & hoc non folum a perfona, quafi confideratur, fed etiam a formalibus conftitutivis eorum. Est dubitatio ulterio, Verum tale commune folummodo negativum fit abfttrahibile ab eis, vel aliquod commune pofitivum. Et videtur, quod oporteat ponere aliquod pofitivum poffibile abfttrahi ab eis propter verbum *Aug. de Doctrina Christiana (a)*, & verbum *Magiftri* in littera *diff. 25.* quae adducta funt contra opinionem. Poteft dici, quod ab individuis non tantum poteft abfttrahi fpecies, quod dicit quidditatem individuum, fed etiam aliquid quali proprium.

## DISTINCTIO XXIV.

**C**irca iftam diftinctionem vefigefimam quartam, quaero.

## QUESTIO UNICA.

*Utrum in Divinis fit proprie numerus?*

**R**efpondeo (*b*) ad ponitur, quod numerus habeat unitatem formalem, refpectu cuius formalitatis unitates funt materiales, & ficut materia illius formae: aut ponitur, quod numerus eft tantum in unus

aggre-

a Cap. 4. &amp; inde lib. 5.

b Henric. quodlib. 5. q. 6.

aggregatione unitatum, ficut acervus lapidum dicitur unus aggregatione lapidum. Quod horum verum fit, alias videbitur, quando tractabitur de numeris. Primo modo dico, quod in divinis non eft numerus, quia quaelibet perfona Divina eft infinita, & quaelibet proprietates personalis eft eodem infinito: fed nihil quod eft ex fe formaliter infinitum, vel idem infinito, eft potentiale, vel pars alienius, quia tunc effeet aliquid majus infinito, quia totum effeet majus infinito, fi tamen pars eius effeet infinita, & ideo illam pofitionem tenendo non erit numerus in divinis. Si fecunda pofitio vera eft, fcilicet quod numerus eft tantum unus aggregatione unitatum, cum aggregata funt fimpliciter diverfa, ita quod non faciunt, nec funt aliquid per fe unum; immo funt minus unum, quam illa, quae funt unum per accidens, & quae funt in divinis, funt idem alicui vere uni, quod eft effentia, fequitur: quod nulla eft aggregatio ibi rei ad rem: & ita nullus eft numerus fecundum iftam fecundam pofitionem. Si tamen numerus habeat effeet in intellectu tantum fimul concipientes plura una, vel plures unitates: cum intellectus aliquis poffit concipere tres perfonas fimul, vel unam folam, non concipientes tres perfonas, & non fit conceptus ita perfectus concipientes unam perfonam, ficut concipientes tres perfonas (unde aliqui diftincti articuli fidei refpiciunt diftinctas perfonas) poffet poni, quod ibi eft unus numerus, quafi unus conceptus totalis Trinitatis in intellectu. Sed omitendo de numero, an fit in intellectu & loquendo de numero in re; Dico quod numerus fimpliciter non eft in divinis, tenendo alterutram illarum duarum opinionum primarum; Conceditur tamen ibi numerus fecundum quid, fcilicet cum hac determinatione *personarum*: quia ibi fit abfttratio illius a numero, quod non dicit imperfectionem, fcilicet diftinctionem, ab eo, quod notat imperfectionem, aut in utroque numero totum, aut faltem in altero, fcilicet a potentialitate, fi numerus eft unus fecundum formam; vel a diverfitate, fi numerus eft unus per aggregationem unitatum plurius: bene tamen ibi conceditur diftinctio fine diverfitate, vel potentialitate, vel etiam aggregatione, quia dicit imperfectionem aliquam in unitate.

*Circa illud decimo Metaphifica de uno, (a) quod confituitur numerum, &c. unum apud intellectum unitate, & primitate ordinis poteft habere rationem mensurae fecundum rationem: numerus eft tale unum per diftantiam certam unitati: ultime a prima: igitur numerus eft mensura fecundum rationem, fic forte diceret Auguftus de tempore.*

*Contra, mensuratum fecundum aliquid fui mensuratur: fi fecundum quantitatem: ergo iffum in fe eft quantum diftinctum. Tenendo communem viam, dico, quod de ratione numeri funt tria. Primum eft quod unitates, quae funt partes numeri, funt unius rationis, & non tantum conceptus unius, fed fingularia eius hinc, & inde funt unius rationis. Secundum, quod una funt diftincta: ita quod fic unum, non includat fic unum: ideo unitas naturae non facit*

a Addit.

est numerum cum unitate suppositi, nec cum unitate formalitatis, quia natura in uno includitur; & aliud includit. Tertio requiritur quod in utraque unitate, vel utroque numero sit potentialitas partis ad totum. Propter primam, Deus non connumeratur creature, quia illa unitas singularis, quae est in Deo existens, non est eiusdem rationis cum alia, quia tunc contraheretur per infinitam, & illa Deus esse compositus: propter secundam, (a) album, & dulce non sunt duo tamen dulcedo, & albedo sunt duo. Ratio grammatica est, quia terminus, numerus adiectivus determinat substantivum, id est, subiectum: in primo notatur esse duae unitates distinctae, in secundo est forma; & forma: propter idem s albedinetas, & coloretas sunt duo; non tamen albedo, & color, quia si unum includit sic unum, sicut album cum etiam includit utramque naturam. Praeterea: potest etiam istorum assignari ratio, & distinctio per primum, quia unitas suppositi, naturalis, & formalitatis, non sunt unitates unius rationis: ideo natura connumeratur alii: propter tertium; nec intra, nec extra, aliquid intrinsecum Deo est connumerabile; quia nec potentiale: tamen extendendo numerum ad distinctionem entium, conceditur numerus in divinitate; & haec duo; scilicet entitas, & distinctio numerorum requiritur ad numerum: sed non sufficit, ideo ubi propter ista sola ponitur numerus imperfecte ponitur, sic tres personae. Copularium; tertium lapidum est per se unum secundum opinionem communem, ita quod non tantum est hic & hic; hic: sed Trinitas personarum est tantum hic & hic, hic, nec magis unum alio modo dicitur, si numerus poneretur in intellectu, quia una concordaretur utrobique. Contra. Boetius. (b) hic est vere unum, in quo nullus est numerus: item unus est prior natura quam duo, item pari quae totum: item Avic. secundum substantiam, aut secundum relationem. Substantivum duplex, synonymum, quod consequitur formam, & principium numeri, quod addit super unum rationem mensurae, & ideo est de genere quantitatis; & est aliud, quod consequitur formam propter materiam, sic duplex numerus s. Met. vel triplex, formalis, mathematicus, & sensibilis: primus est ibi, & est ab uno, & servat unitatem: secundus non est ibi: Respondeo, numerata sunt plura divisa, unde partes in toto non numerantur, nisi potentia, sed quae sunt nata contineri in unitate unius continui, omnia nata sunt esse unum, & ideo unius speciei, & in materia aliis, & aliis. Alter non est numerus simpliciter, sed cum determinatione formarum: in Deo nulla sunt divisa ab invicem propter unitatem essentiae per oppositum in specie immateriali est numerus formalis. Item quodlibet est ibi quae speciei, non autem sunt plura sub eadem specie contenta: igitur tantum numerus secundum quid, scilicet cum additione personarum, & attributorum: ita quod si unius speciei indivisio prohibet, si divisionem essentiae, alia divisio prohibet.

bet, convenit tamen cum numero mathematico in aliquo, quia ab unitate essentiae, ut a radice oritur: differt etiam, quia hic unitas non dividitur, sed quasi species distinguitur, in hoc convenit cum numero formali: sed ille numerus radicatur in una forma singulari, & est ibi differentia per formas absolutas, hic vero non. Ad primum, non est unum numero, quia non constituit numerum. Ad secundum, loquitur de numero cum determinatione, scilicet personarum. Ad tertium, multum est nobis magis nota, & positione significatur, sed est unitatum divisio, quae est negatio unionis: ideo non est multitudo simpliciter, nisi cum determinatione: e converso in Deo, licet secundum modum nominis significet negationem illam tamen negatio non est ibi negans; & ita secundum rem vera positio.

## DISTINCTIO XXV.

Circa istam distinctionem vigesimam quintam quaero

## QUAESTIO UNICA.

Utrum persona in divinis dicat substantiam, vel relationem.

Respondeo sine argumentis, Quod persona non dicit relationem propriam, quia haec nomen, persona, est commune tribus, secundum Augustin. 7. de Trinitate cap. 7. si tres personae sunt, commune est eis hoc, quod est persona, & non communitate equivocationis; sicut hic homo est communis Sorti, & Platoni, quod quidem est equivoco, quia pronomen hoc, quod demonstrat, hoc significat. Non ita hic, quia equivoco non numeratur in equivocatis; non enim dicitur pisces, & tyones duo canes, quia numeratio aliterius in aliquibus requirit univocationem eius in eis: persona est sic communis, quod numeratur in eis, nec dicit relationem communem, quod probatur per Aug. 7. de Trinitate. Quod Patrem est persona Filii, nec e converso. Et ista ratio potest deduci sic ad quodcumque dicitur relativum inferius, ad idem dicitur relativum superius, licet non primo: exemplum; si duplum est, duplum dimidii, & hoc primo duplum est multiplex dimidii, licet non primo, & hoc, sed etiam usque ad generalissimum est relativum dimidii, licet non primo, id est adaequate: ergo si persona diceret relationem communem, tunc Pater sicut est Pater Filii primo, ita Pater esset persona Filii per se, licet non primo, quod est falsum. Nec persona dicit substantiam secundam, id est quidditatem, quia illa non numeratur in tribus personis: persona autem numeratur: ergo secundum duas opiniones factas in q. de persona dist. 2. quia secundum unam opinionem persona dicit negationem in genere communem tribus, & sic non significat substantiam, nec relationem; connotat tamen aliquid positivum, & primo

mo connotat illud, de quo prædicatur, puta Patrem, Filium, & Spiritum sanctum, non quasi ex primo intellectu suo, sed sicut commune connotat inferius, pro quo supponit. Secundo connotat relationem, qua Patri conveniat talis negatio communis, & Filio similiter: tertio, & ultimo connotat essentiam, quæ licet sit in primo connotato, non autem est in eo ratio istius negationis. Si autem tenetur alia opinio in quest. illa de persona, scilicet, quod persona dicat aliquid positivum abstractum a tribus, ut quasi proprium, non ut species: tunc dici potest, quod significat positivum: sed nec substantiam, nec relationem, & hoc extendendo substantiam tam ad primam, quam ad secundam: sed aliquid positivum indifferens ad utramque. Ratio enim subsistentis indifferens est ad absolutum, & relativum, tenendo personas divinas esse relativas primo: ex consequenti tamen dat intelligere sicut superius suum inferius, illud pro quo accipitur relativum superius, de quo dicitur persona, puta Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum; & secundo ipsas relationes, & tertio essentiam. Ita quod utraque opinio, posita dist. vigesima tertia concordat in hoc, quod persona, de prima ratione sua, non dicit relationem, nec substantiam, & hoc nec primam, nec secundam: sed secundam unam opinionem dicit conceptum negationis in genere communis tribus, qui distinguitur in eis; secundum aliam opinionem dicit conceptum positivum communis distincti in eis. Et secundum utramque opinionem tale commune, sive positivum, sive privativum, connotat sicut suum inferius, illud, de quo formaliter dicitur, puta Patrem, Filium, & Spiritum sanctum; & quasi secundum connotat formalia distinctiva in eis: & tertio essentiam communem in eis. Sed obijciatur quod persona significet substantiam secundam, id est, quidditatem per hoc, quod dicit Augustinus, 7. de Trinit. cap. 4. per hoc, quod est tres persone, & respondet ad quest. illam, qua queritur in divinis quid tres? quid autem querit essentiam. Præterea, dicit August. 7. de Trinit. cap. 4. quod non est aliud Deum esse, & personam esse: ergo persona est mere essentialis, & per consequens significat substantiam secundam, & quidditatem. Ad primum respondeo, quod quid quandoque querit distinctionem, quandoque querit illud de quo aliquid dicitur: primum patet ex primo Topic. distinctio est oratio indicativa, quid est esse rei: secundum etiam patet per Philosophum 10. Metaphysicæ, totaliter querendum est, quid unum, quemadmodum & quid ens, tanquam non sufficiens, quia hoc ipsum istius natura. Intendit dicere, quod non sufficit dicere ipsum unum esse principium, sicut aliqui antiqui Philosophi ipsum unum esse principium dicebant, sicut Platonici: sed aliquid, de quo dicitur unum, & secundum hoc questio ista quid est elementum, duplicem habet responsum, unam assignando elementum distinctioem: aliam assignando illud, de quo dicitur elementum, puta ignis est elementum. Nunc autem catholicis confitebitur tres, secundum anonicam Epist. Joan. 1. c. 5. quæserunt heretici quid tres, non interrogantes hujus neminis distinctio

nem

hæm, sed quid esset illud substantivum, quod determinaretur per illud adjectivum tres, sive de quo diceretur, & ad hoc bene respondetur per hoc, quod est persona: cum igitur accipitur, quod quid querit de essentia, non est verum generaliter, nec specialiter in proposito. Ad secundum de Augustino patet distinctio sequens, quod persona est ad se, tam in se, quam in suis inferioribus: licet non ita se ad se, sicut essentia est ad se, & hoc si ponitur divinas personas esse constitutas in esse personali, per aliam absolutam, si autem hoc non ponatur, difficile videtur exponere auctoritatem Beati Augustini sed de hoc dicitur ibi.

Et relatio infra suum genus non distinguitur nisi per illa, supra quæ fundatur, & sic non est in ea vere ratio universalis, (a) nisi quia super universale fundatur. Exemplum de similitudine, & albedine: omnis autem relatio divina fundatur supra essentiam, quæ nullo modo potest habere rationem universalem; quia natura universalis est sola illa, quæ ex ratione quidditatis est natura tantum secundum Avicennam 5. Metaphysicæ, non concernente rationem (b) universalis, vel particularis, sed hæc in se recipere rationem utriusque singularis per esse terminatum in supposito, universalis vera per hoc, quod est nata cadere in consideratione intellectus; ut una secundum rationem, tamen applicabilis per predicationem pluribus, in quibus est multiplicata, Essentia autem de se est singularitas quadam: quanquam igitur relatio prædicetur univoce de paternitate, & filiatione, non tamen est universalis.

## DISTINCTIO XXVI.

CITRA istam distinctionem vigesimam sextam, quæro unum.

## QUESTIO UNICA.

Utrum persone divinae constituantur in esse personali per relationes originis, vel per aliquam absolutam?

Q UOD non. Relationes originis sunt alterius rationis, sicut relationes specie differentes in creaturis. Quod apparet: plus enim distat paternitas a filiatione, quam filiatio a filiatione, vel paternitas a paternitate: ergo constituta per eas formaliter differunt specie: persone igitur differunt specie, & ita generatio est æquivoca in divinis, quæ improbatæ sunt dist. 7. Item qua ratione relationes originis constituunt personas, eadem ratione relationes communes constituunt eas, & ita eadem persona constitueret duplici formaliter constitutivo, quod est inconveniens: Consequenter probatur per hoc, quia relationes communes æqualem distinctionem requirunt in extremis, sicut relationes originis: & eodem modo fiat cum unitate essentia: ergo æqualiter distinguunt. Præterea. Relationes oppositæ de recipiendo me-

Tom. I.

R r

do